



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Joseph. 19. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

periculo versetur eorum anima: pro illis Deum ora: Amove eos ab occasionibus peccandi, adhibitis amicis, authoritate, divitiis. *Noli visa hujus felicitatē pravis hominibus invidere, sed condole.* Dami:

3. Num tu ipse dignus es, cujus alios misereat, tum propter afflictiones tuas, tum propter peccata tua? si propter afflictiones tuas, patiens esto; Christus, & sancti omnes vixerunt in laboribus, doloribus, lachrimis; si propter peccata, miserere tui ipsius, & sana quamprimū vulnera animæ tuæ.

## S. JOSEPH.

19. Martii.

*Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, iis contenti sumus.*

Paulus Ep. 1 ad Tim. cap. 6.

**C**ompendium laudum IOSEPHI dedero, si convixisse IESU & MARIAE dixerō: huic Sponsū integerrimū, illi Nutritorem sedulū. Arcanorum ergō conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Vtraque VII. fuisse, binis è D. Francisci coetu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinivit animum Nuntius, quo non nisi DEO plenam Mariam intellexerat: tum de-

N 2

inde

inde aures recrearunt ad cunas Magni Infantis choraulæ nobiles ; Sed longè demulfit suavius Nomen quod ipse indidit , dulcissimum. Iam vaticinia Simeonis , quæ Servatorem Puerum ; dejecta in Ægypto simulachra Dæmonum , quæ DEVM loquebantur , & Angelus , qui in patriam exules revocabat , aliis atq; aliis gaudiis cumulârant. Illud demum delitiis inundavit , cùm , quod charissimum habuit pignus , amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia ; illa dolorum fuere : tristis primò , quem à Virgine parabat , secessus ; tum pauperes cunæ & prima , quæ imbris prælusit , sanguinis pluvia ; mox gladius Simeonis cor sponsæ , non nisi per præcordia Sponsi petiturus ; post fuga præpropera & Archelai tyrannis ; demum amissa in uno puero bona omnia ; hæc inquam , tot mæroris argumenta , quot ante lætitiæ dubiam utrinque victoriam fecerunt. Ego , si fas sit , octavum & dolorem & gaudium addidero , mortem inter IESV & MARIÆ amplexus. Quid enim acerbius , quàm hos ex oculis dimittere ? quid dulcius , quàm ab his oculos claudi ?

hæc *Ex lib. 3. Carthagens.*

MEDIT

209. (O\*)  
MEDITATIO  
*In vitam S. Josephi.*

1. S. Josephus **MARIÆ** sponsus fuit, haud dubie  
singularem propter puritatem. Quam glorio-  
sum tibi, Vir sanctissime Sponsam habere, in cœ-  
lis & in terris Omnipotentem, ac tuæ voluntati ap-  
primè consentientem. Esto castus, humilis, &  
modestus, ut S. Josephus, & adamabit te **MARIA**.  
Ad sanctitatis apicem brevi perveniet, qui Sanctū  
hunc imitatus, **DEVM** præsentem, ac singula vi-  
dentem semper cogitaverit.

2. Josephus fuit **JESU** nutritius parens, & ipse **JESUS**  
erat subditus illi: Vide humilitatem Salvatoris, qui,  
eum in Augusti, aut Herodis Regiâ nasci potuisset,  
pauperem & incognitum sibi voluit patrem, qui  
quotidiano sudore victum & vestitum ipsi procura-  
ret. Exemplo sancti Josephi nunquam separeris à  
**Christo**, cum testem habeas omnium actuum tu-  
arum, & cum eo sæpius colloquaris, fac (ut ait  
Aug) *locum Christo cum filiis tuis, accedat familia  
tua Dominus tuus, accedat ad prolem creator tuus.* Hæc  
si feceris pauperi, **Christo** fecisti.

3. S. Josephus inter beatos **JESU** & **MARIÆ** am-  
plexus expiravit. Piam ac sanctam mortem cupis,  
huc cogitationes, huc actiones tuæ referantur: co-  
le, invoca S. Josephum; affirmat quippe S. The-  
resia, se nihil non impetrâsse meritis S. Josephi.  
Semper in ore habeas, sed præsertim instante mor-  
te, pulcherrima & suavissima nomina **JESU**, **MARIÆ**,  
**Josephi**.

N 3

S. JOA